

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6434

**Auteur(s) :** Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame du Vœu du Valasse (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1152

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Hugues [d'Amiens], archevêque de Rouen, confirme la donation faite par Mathilde l'Emperesse et de Galeran [II] comte de Meulan à l'abbaye Notre-Dame du Vœu.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, Somménil F., *Chronicon valassense*, truncatum a R. p. Arturo Du Monstier in sua Neustria pia, integrum necnon variis adnotationibus vindicatum ac illustratum de novo edidit F. Somménil, presbyter Rotomagensis, Rouen, Lebrument, 1868, p. 59-60.  
b. Avenel Alain, Cahagne Jean-Marie, Follain Éric, Grélois Alexis, Le Maho Jacques, *Le Valasse*, t. 1, L'abbaye cistercienne Notre-Dame du Vœu, XIIe-XVIIIe siècles. Le château, XIXe-XXe siècles, Rouen, Éditions des Falaises, 2009, 1 vol., « La fondation du Valasse racontée par les chartes », n° 3, p. 31-32 (traduction).

Texte établi d'après a

Hugo Dei gracia rothomagensis archiepiscopus, omnibus sancte Ecclesie fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Noverit universitas vestra nos monasterium Sancte Marie de Voto, quod situm est in valle que est inter Lilebonam et Bollebech, sub nostra et sancte rothomagensis Ecclesie protectione speciali caritate suscepisse et presenti scripto confirmasse: statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium juste et canonice possidet in presenti, vel in futuro quibus libet justis modis Deo annuente poterit adipisci, eidem firma et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exponenda nominibus: vallem siquidem in qua prefatum monasterium situm est, cum aisiamentis omnibus in foresta de Insulabona ; quinquaginta acras terre in foresta Fiscanni cum omnibus item aisiamentis ejusdem foreste. Que omnia, a nobilissima imperatrice Mathildi Henrici regis filia, eidem monasterio in perpetuam elemosinam per manum nostram, cum omnimoda libertate donata sunt. De donatione autem Gualeranni illustris comitis Mellenti, item per manum nostram, totam haiam de Lintot, cum omnibus appendiciis suis, sicut comes ebroicensis cum sorore sua illi donaverat, quando eam in matrimonium duxit. Et quia Bernacense monasterium in illis partibus agros affines, cum capella S. Marcelli possidebat, memoratus comes Mellenti donavit Ricardo abbatii Bernaci et fratribus ejus, in commutationem et concambium, septem acras terre arabilis in eodem territorio, et triginta solidos probate et usualis monete, in assignatis terris et hominibus, annuatim persolvendos ; et quinque asinos ad mortuum boscum, absque omni consuetudine reddenda, in foresta de Floteneio, quam tenet de eodem monasterio de Bernaco. In presencia nostra et Arnulphi lexoviensis episcopi, et Ade abbatis Mortui-Maris et aliorum multorum in perpetuum. Si quis autem hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam, quod absit, nefaria temeritate venire, et prefatum monasterium Sancte Marie de Voto improbe pertubare aut illius bona minuere vel auferre vel quibuslibet molestiis fatigare presumpserit, indignationem Dei et omnium Sanctorum maledictus incurrat, et ab ea hereditate, que fidelibus promissa est, nisi resipuerit, in perpetuum

maneat alienus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. quinquagesimo II. Presidente sancte romane Ecclesie Eugenio III, principante in Normannia magnifico duce Henrico.